



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

**Parisiis, 1644**

IV. De rebus ecclesiae sine consilio metropolitani episcopi non alienandis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15256**

ANNO  
CHRISTI  
398.

I V.

Placuit etiam , vt rem ecclesiæ nemo vendat.  
Quod si aliqua necessitas cogit, hanc insinuandam  
esse primati prouincia ipsius , vt cum statuto nu-  
mero episcoporum , vtrum faciendum sit , arbitre-  
tur. Quod si tanta vrget necessitas ecclesiæ , vt non  
possit ante primatem consulere , saltem \* post fa-  
ctum curiositatem habeat & vicinis episcopis hoc  
ante indicare , & ad Concilium referre cat suæ ec-  
clesiæ necessitates. Quod si non fecerit , reus \* Con-  
cilii venditor teneatur.

\* vicinos  
testes cō-  
uocet e-  
piscopos,  
curans &

\* Deo &  
Concilio  
venditor

Cod. Can.  
c. 26. supra.  
17. q. 4.  
Nullus res  
ecclesiæ.

V.

Placuit, vt nemini sit facultas , relicta principali  
cathedra , ad aliquam ecclesiam in dioceſi consti-  
tutam se conferre , vel in re propria diutius quam  
oportet , constitutum , curam vel frequentationem  
propriæ cathedræ negligere.

Conc. Afr.  
7. 38.  
c. q. 1. Pla-  
cuit vt ne-  
mini.

VI.

Placuit de infantibus , quoties non inueniun-  
tur certissimi testes , qui eos baptizatos esse sine du-  
bitatione testentur , neque ipsi sunt per ætatem i-  
donei de traditis sibi sacramentis respondere , abs-  
que vlo scrupulo eos esse baptizandos , ne ista tre-  
pidatio eos faciat sacramentorum purgatione pri-  
uari. Hinc enim legati Maurorum fratres nostri  
consuluerunt , quia multos tales a barbaris redi-  
munt. Similiter & de ecclesiis ( quoties super ea-  
rum consecratione hæsitatur ) agendum est , id est ,  
vt sine vlla trepidatione consecrentur.

Conc. Afr.  
c. 39.  
De consecr.  
diff. 4. Pla-  
cuit de in-  
fantibus.

VII.

Placuit , vt dies venerabilis Paschæ , formatarum

Conc. Afr.  
c. 40.